



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Praxis Et Brevis Declaratio Viæ Spiritvalis**

**Palma, Luis de la**

**Antverpiae, 1634**

Exhortatio ad Exercitia facienda.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60472](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60472)



*Exhortatio pro EXERCITI-  
ORVM commendatio-  
ne.*

Spiritu ambulate. *ad Galat. 5.*

**L**OCVS hic, in quo versamur, exercitium requirit. Et sicut corpora, quæ nec ambulant, nec aliud exercitium faciunt, infirma sunt, plurimosque gignunt malos humores; ita spiritus qui se non exercet, infirmus sit necesse est: atque ideò Apostolus, tamquam præclarus Medicus, dicit, Spiritu ambulate.

Experientiâ constat, corpora nostra pluribus infirmitatibus esse obnoxia: eadem nos docet, spiritum suis morbis non carere, propter varias quibus subiacet mutationes. Exemplum sit. Deserto quis sæculo Religioni se consecrat;

B 4

paucis



paucis ille pòst diebus, in Nouitiatu ita  
 se mutatum miratur, vt se non noue-  
 rit; ad eum in oratione feruorem per-  
 uenit, tam ad omnem mortificationem  
 animatum se, ita contemnentem hono-  
 ris, & de sui contemptu lætum, pau-  
 pertatisque amantem se animaduertit,  
 vt numquam se in vlllo honore rerum-  
 que abundantia & mundi libertate,  
 simili gaudio perfusum fuisse memi-  
 nerit, vt sibi videatur cum omni gra-  
 tiarum actione dicere posse: Qui  
 sanat omnes infirmitates meas.  
 Translatus postmodum ex amœno No-  
 uitiatus viridario ad studia, aliaque  
 SOCIETATIS ministeria & exterio-  
 res occupationes, paulatim se (causam  
 ignorans) persentiscit tepidum in ora-  
 tione, effusum in sensibus, in honore  
 viuum, suarum commoditatum am-  
 bientem, in recreationes corporisque  
 com-



commoda fædè propensum, querulum,  
ambitiosum, functionum & officio-  
rum honorificorum cupidum, se sua-  
que ex politicâ & humanâ lege &  
terrenâ sapientiâ gubernantem, qui-  
que omnem suam quietem sitam habet  
in Superioris erga se beneuolentiâ; &  
cui solus ille arridet Superior, qui non  
imperat, sed rogat; & vt roget, prius  
eum consulit, & petit, Quid tibi vis  
faciam? Certum est, quòd spiritus  
ille infirmus sit, quia cum inquietudi-  
ne & dolore viuit, seque ad Exercitia  
motumque spiritualem, & ad omnes  
honestas occupationes valdè indispo-  
situm sentit. Causa huius infirmitatis  
clara est; quia ita seculum deseruit,  
vt inordinatos suos affectus nondum  
mortificarit: qui, quia viui sunt,  
pascuntur reculis quibusdam seculi,  
quæ in Religione etiam sunt, & sine



*quibus vita hæc non vivitur . Quod  
benè Cassian. Collat. 4. de Abbate Da-  
niele cap. 21. Iam illud ridiculum  
qualiter exprimetur , quod non-  
nullos post illum primæ renuntia-  
tionis ardorem , quo vel res fami-  
liares , vel opes plurimas ac mili-  
tiam sæculi relinquentes , semet-  
ipsos ad Monasteria contulerunt ,  
tanto cernimus studio in his quæ  
penitus abscindi non possunt , &  
quæ nequeunt in hoc ordine non  
haberi ( quamvis parva viliaque  
sint) esse deuinctos, vt horum cu-  
ra pristinarum omnium faculta-  
tum superet passionem ? Quibus  
profectò non magni proderit, ma-  
iores opes ac substantias contem-  
pisse; quia affectus earum , ob  
quos illæ contemnendæ sunt , in  
res parvas atque exiguas transtu-  
lerunt.*



lerunt. *Et postquam hanc materiam fusè profecutus est, concludit sic: Quid enim differt, vtrùm quis perturbationem cupiditatis erga opes amplas atque magnificas, an erga viliores exerceat species? nisi quòd in eo reprehensibilior iudicandus est, quòd qui maxima spreuerit, minimis obligetur? Ideoq̃ue perfectionem cordis abrenuntiatio ista non obtinet, quia cùm censum habeat pauperis, non abiicit diuitis voluntatem. Hanc autem voluntatem sequuntur distractiones, curæ, timores, prætensiones, concupiscentiæ, & reliquæ, quæ huius mundi bona comitantur, spinæ. Et qui vestes amat Naaman, leprâ inficiatur necesse est; & corpore inter Religiosos præsens, spiritu se extra illos inueniat: quia in Religione quærit quod in mundo*

do



do seculares, & quod Regulæ, professioni Religiosæ, Christi Domini nostri doctrinæ, eiusque exemplis contrarium est.

Hinc sequitur, duo esse Religiosorum genera. Aliqui enim corpore tantum tales sunt, qui veste & externâ rerum omnium obseruantia, quæ sunt quasi exercitia corporalia Religionis, contenti sunt: alij verò etiam spiritu, qui de oratione, de passionum mortificatione & in virtutibus profectu tractant, quæ sunt velut anima & spiritualia Religionis Exercitia. De quo pulchrè sanctus Bonaventura de reformatione spiritus, quòd nempe duplicis generis inueniantur Nouitij, istis verbis: Ideò quamdiu Religiosus nondum cupit intelligere & sapere ea quæ sunt Spiritus Dei, sed in exterioribus obseruantijs adhuc



huc putat totum constare quod ad veram Religionem pertinet, Nouitius est, si etiam pluribus annis in habitu Religionis steterit. Et hos perpende duos esse Nouitiatus in Religione: vnus ad probationem, qui terminatur quando promittit obedientiam & stabilitatem in Ordine per verba; alter durat quousque Religiosus statum benè viuendi ita in consuetudinem conuertit, quòd iam non solum verbis, sed etiam factis promittat, se stabilem in fide, Ordine & profitendi studio permanfurum. *Si autem duplex sit Nouitiatus, sicut benè Sanctus ille notat, sequitur quòd duplex etiam debeat esse vocatio; vna ad habitum, altera ad profectum spiritualem, quando aliquem pudet solum habitum Religionis*



nis gestare, Religionis verò spiritu destitutum esse; atque ideò de verà passionum suarum mortificatione, & studio in veris virtutibus proficiendi agit. Et ista secunda vocatio idem est atque ad Exercitium spirituale vocatum esse, & ad viam spiritus sequendam: quia, vt Apostolus ait, non possunt superari desideria carnis, si in spiritus via non ambulatur. Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis.

Sanctus Pater noster in Annotatione primà, declarans quid sint Exercitia spiritualia, dicit: Sicut deambulare, iter facere, & currere, exercitia sunt corporalia; ita quoque præparare & disponere animam ad tollendas affectiones omnes malè ordinatas, & iis sublatis, ad quærendam & inueniendam  
volun-



voluntatem Dei circa vitæ suæ institutionem, & salutem animæ, Exercitia vocantur spiritualia. *Via illa quâ ambulandum, eundum & currendum est, à nobis incipit, atque in Deo finitur, hoc est à noxiis nostris affectibus procedit ad voluntatem divinam; atque hoc est abire à se, vt propior fias Deo, & desertis cupiditatibus inordinatis, Dei expleas voluntatem, ne sis de numero Religiosorum tepidorum, de quibus Cassianus, qui solo mundum corpore deserunt: quare inordinata spiritus desideria, vt salutem animæ spiritualem assequaris, comprimes.*

*Hanc viam spiritualem S. Pater noster in suo Exercitiorum Libello in quatuor Hebdomadas distribuit; quæ sunt quasi quatuor profectioes, quarum omnes passus sunt hi.*

*Primus est, odium & dolor peccatorum,*

*torum,*



torum, quod est auelli à malâ vitâ. Non sine ratione dicitur auulsio: quia itinerum difficillimum est, de domo suâ exire, eamque deserere. Et hoc in primâ Septimanâ quæritur.

Secundus passus est, mortificatio passionum, proprio amori, sensuali & mundano bellum indicendo, ad imitationem Christi Domini nostri: quod initio secundæ Septimane in Meditatione Regis temporalis nobis proponitur.

Tertius est, Exercitium virtutum, secundum doctrinam sancti Euangelij, præcipuè paupertatis, contemptus honoris, & humilitatis cordis: quod prætenditur in Exercitio de duobus vexillis.

Quartus, non tantum amare paupertatem & humilitatem, sed esse dispositum ad re ipsâ deserendas diuitias

tem-



temporales; & ad omnem egestatem  
 & humiliationem, prout intelligemus  
 id ad Dei gloriam & obsequium fo-  
 re, paratum se exhibere, cum firmo pro-  
 posito nihil querendi, quod non sit ad  
 obsequium Dei Domini nostri: ita vt  
 solo desiderio Deo Domino nostro me-  
 liùs seruiendi, ad quidquam ample-  
 ctendum vel reijciendum moueamur,  
 vt dicitur in Exercitio de tribus homi-  
 num classibus.

Quintus, quòd, etiam si laus Dei  
 par foret, tamen, ad maiorem Christi  
 imitationem, eligam potiùs cum eo  
 paupere, spreto & illuso, pauperiem,  
 contemptum & insipientie titulum,  
 quàm opes, honores aut sapientie esti-  
 mationem amplecti, prout dicitur in  
 tertio gradu Humilitatis. Hi verò om-  
 nes passus ad secundam Septimanam  
 pertinent. Ut autem ad hunc perfe-

C ctionis



etionis gradum in viâ spirituali tam pretiosum perueniamus, & in eo nos magis magisque confirmemus & roboremus, duo maximè iuuabunt. Primò, si nos in Meditatione de Passione Christi Domini nostri exerceamus; in quâ perfectissima Heroicarum virtutum exempla videre licet, cum summâ contradictione ac pugnâ exercitarum à Christo Domino virtutum: qui, vt faceret voluntatem Patris, omnibus se difficultatibus, quasuis à se mundi delicias rejiciendo, generosè opposuit. De hoc agitur in tertiâ Septimanâ.

Secundò, multùm iuuabit, solatio spirituali haud leuiter delectari, quod est Beatorum gaudia prægustare: hoc enim omnem omnino rerum creatarum gustum saporemque tollit, sensusque torpere facit, vt in difficultatibus &  
aduer-



aduersis non moueantur; sed fortiter in charitate, à quâ perfectè oriuntur virtutes, se exerceant. Hoc est totum illud spirituale iter, præcipuique in eo passus, quibus nobis progrediendum singulis Septimanis, singulisque Meditationibus, laborando, ut in nobis propositum illud, quod in iis prætenditur, excite- tur; ut benè notat S. Pater noster in vndecimâ Annotatione inter viginti primas, cuius post faciemus mentionem.

Aduertendum, quòd in primâ Annotatione S. Pater noster benè annota- rit tres gradus Exercitiij spiritualis, ad similitudinem corporalis, qui sunt, am- bulare, proficisci, & currere. Ille am- bulat, qui intra spatium limitatum va- dit & venit, nec vlteriùs progreditur: & ij sunt qui quotidie orationem fa- ciunt, conscientiam examinant, libros spirituales legunt, Sacramenta fre-  
 C 2                      quen-



quentant; & tamen iisdem semper manent irretiti passionibus, nec se post multum temporis plus profecisse vident quàm primo die. Ratio est; quia vadunt & veniunt, & bonis suis desideriis & propositis ita à se exeunt, vt, cum laborandum est, ad se redeant. Plus à nobis exigit Apostolus, cum dicit, Spiritu ambulate: quia longam ille commendat viam; vt nempe à se recedentes, Deo appropinquent, suamque voluntatem deserant, vt diuinæ perfectè obediant. Porrò non tantùm monet vt in illà viâ ambulemus, sed curramus, vt alibi dicit: Sic currite, vt comprehendatis. Et ille currit, qui toto impetu suæ voluntatis Dei voluntatem scire desiderat, vt illam, proprio suo sensu pedibus substrato, perfectè compleat. Vide Basilium in Regulis breuioribus Interrogat. 259.

Quis



Quis est feruens spiritu? qui cum ardenti studio, & inexplicabili cupiditate, & assiduâ diligentia voluntatem Dei facit in charitate Christi I E S V Domini nostri, conuenienter illi quod scriptum est: In mandatis eius volet nimis. *Et ille est gradus perfectionis, quò Exercitia diriguntur.*

Hinc patet, quòd licet multi sint qui ad orationis perfectionem anhelant, eique per hæc nostra Exercitia insistant, pauci tamen eam perfecte adipiscantur: quia hîc ego tres gradus triaque genera hominum inuenio. Aliqui dicunt, se hanc orationem obtinere per Exercitia; quia versantur circa eandem materiam eademque puncta, eadem diuisione et ordine seruato qui Libello Exercitiorum comprehenditur: quod illo in genere tam exiguum est, vt si vltius non



colliment, dici non possint, orationem per Exercitia obtinuisse. Alij sunt, qui ad sublimiorem gradum nituntur; quia non tantum de eadem materia meditantur, verum etiam in meditando & se examinandi modo eas leges, conditiones & instructiones, quas Liber hic Exercitiorum prescribit, accuratè seruant. Alij vlteriùs progrediuntur; quia, præterquam quòd prædicta seruent, animæ suæ insuper eadem proposita & conclusiones imprimere student, idque eo ordine iisdemque mediis, quæ S. Pater noster docet Libello isto. Et hi sunt qui finem à S. Patre nostro propositum plenè consequuntur: atque hæc est causa, ob quam dixit, integra illa Exercitia non posse dari nisi paucis, iisque valdè capacibus personis, qui summo perfectionis desiderio tenerentur. Non ratione materiae;  
quia



quia omnes utiliter se in Meditationibus de vitâ, morte & Passione Christi Domini exercere possunt: nec ratione formæ seu modi orandi circa tres potentias; quod fiebat in primâ Septimanâ. Quæ ergo causa erit, quod sanctus Pater noster in Parte 4. Constit. cap. 8. litterâ C. & in 7. cap. 4. litterâ F. dicens, quòd Exercitia primæ Hebdomadæ generaliter multis dari possint, addat Exercitia secundæ Septimanæ, & integra non debere nec posse dari nisi paucis personis, & iis à quibus magnus ad Dei gloriam fructus sperari possit? Clarum est, quòd hoc dicat propter ea proposita & dictamina quæ in secundâ Septimanâ exiguntur in electione faciendâ, ut quisque se in suo statu reformet: & propter illos charitatis tam sublimes & perfectos gradus qui in quartâ Septimanâ re-



quiruntur, & magnam supponunt ingenij capacitatem, bonam dispositionem, firmamque se in iis cum fructu exercendi voluntatem.

Ex quo sequitur, quòd ille solus perfectè Exercitia hæc faciet, qui modum orandi seruans, qui in Libello proponitur, circa materiam & puncta que ibi proponuntur, bona illa desideria & conclusiones eodem comprehensa in se excitare conabitur. Tandem, quomodocumq; nos Religiosi SOCIETATIS Exercitia faciamus, cum non tantum pro spirituali nostro profectu, sed & vt ea aliis tradere possimus, & Magistri in hac arte euadamus; clarum est, quòd nobis sufficere non debeat, quòd ea intelligamus, & frigidè nos in iis exerceamus, sed hoc faciendum cum summâ perfectione. Quomodo enim eorum rationem reddemus, si ea perfectè  
non



*non intelligamus? Et quomodo per  
viam nobis ignotam quemquam du-  
cere poterimus? quomodo tandem ar-  
mis vtemur, quorum vsum non habe-  
mus? Ideò dicit sanctus Pater noster  
in Parte 4. Constitut. cap. 8. §. 5. Ad  
Exercitia spiritualia aliis tradenda,  
postquam quisque in se ea fuerit  
expertus, assuescant, & dent ope-  
ram omnes, vt & eorum reddere  
rationem, & in hoc armorum spi-  
ritualium genere tractando (quod  
Dei gratiâ ad ipsius obsequium  
tantopere conferre cernitur) dexte-  
ritatem habere possint.*

*Tandem, monendos vos iudicavi,  
quòd tempore illo, quo soli, & ab omni  
aliâ occupatione liberi Exercitia hæc  
facietis, non expediat legere in hoc Tra-  
ctatu aliud quàm instructionem &  
Meditationem istius diei; studendo*



*fructum, qui per illam intenditur, colligere, non transeundo ad alia quæ aliis diebus consideranda & agenda sunt, iuxta id quod benè Annotat. II. habet S. Pater noster: Quòd exercenti se in primâ Hebdomadâ expedit nescire, quid in secundâ sit acturus; sed ad consequendum illud quod tunc quærit acriter laborare, perinde ac si nihil boni postea esset reperturus.*



P R A X I S